

‘EVAGRIUS MAGISTER’: ALII TEXTUS, NOVA CONDICIO?

ADRIÁN SUÁREZ MARTÍNEZ

adriansuarezmar@gmail.com

Universidad de Navarra

Compendium

Librum cui titulus ‘Evagrius magister’ nobis in votis est tractare, nam unam tantum methodum quae metodologia activa, quam vocant, utitur, ad nostras necessitudines invenimus. Consilium totius nostrae symbolae est per vestigare quid in hoc libro insit et quid pro sit discipulis quibus paucō tempore allato fundamenta latinitatis Christianae discenda sunt. Monstrabuntur enim rationes docendi illius methodi qua lector poterit mente fingere quem ad finem ‘Evagrius magister’ exaratus fuerit.

Vocabula capitalia

Didáctica latín, metodología activa, latín eclesiástico.

Abstract

We will discuss about the method “Evagrius magister”. This book is the only one that we found which uses an active methodology for our needs. The aim of this paper is to investigate how the method works and in what way he can help the students in seminars and in Theological Studies. Furthermore, we will search out the ways which this method teaches Ecclesiastical Latin.

Key words

Latin teaching, active methodology, Ecclesiastical Latin.

Progradientibus temporibus nobis haud pauci libri ad latinitatem graecitatemque descendam pervenerunt qui methodologiam illam ‘activam’ quae dicitur adhibent. In hac symbola oculos ad latinitatem vertam. Potissima igitur methodus nulla dubitatione interposita est illius Orbergii, cui nomen ‘Lingua Latina per se illustrata’, quam quidem nemo huc usque superavisse censemus. Liber tamen de quo disputaturi sumus ‘Evagrius magister’ appellatur; quibusdam notus, multis vero nequaquam.

Verum est ex novissimis methodis in lucem editis ne ullum quidem librum ad latinitatem, quam vocant, Christianam inclinari, quod nobis visum est mirum, siquidem permulti in toto orbe terrarum illas litteras colunt. Ubi huius libri notitiam primum accepimus, nos cogituros de causa decrevimus, nam quid si tempore carent sacerdos aut discipulus seminariorum ad tot paginas evolvendas totque exercitia solvenda in methodo Orbergiana? Nostri plerique discipuli per annos linguae Latinae student, in seminariis vero atque facultatibus studiorum ecclesiasticorum pendet, quapropter maximi momenti erat novum librum excogitare, ut ii etiam methodo ‘activa’ uti possint uno saltem anno.

Semper fere perstringimus studium linguae Latinae ad scriptores quos ‘classicos’ vocant, ut fieri solet in haud paucis studiorum facultatibus Britanniae; auctores vero christianos utpote Tertulianum aut Ieronimum ne unum quidem verbum legimus, nam latinitatem illam Christianam tantum modo ad studia theologica pertinere plerique dicunt¹. Mea quidem sententia omnes unam latinitatem colere deberemus, sed aliquoties tempus discipulis prolatum deficit, ex quo prohdolor nobis aptandum temporis studiorum intervallum est.

Nonnulli sacerdotes seminaristaeque annos consumunt in grammatica aeterne perdiscenda, raro etiam ad auctores legendos accedunt, ne ad theologos quidem evolvendos dicamus. In sempiternum sentiolas Testamentorum, videlicet veteris et novi, vertunt, minime saepe integrum paragraphum suis verbis explanare queunt, nisi iam in antecessu pertritum textum penitus cognitum habebant. Idcirco verba cum rebus non coniungunt, qua de causa ad versiones primum oculorum obtutum figunt. Comenius (1643: II-III) talia hoc modo exprimit:

¹ Tunberg (2000).

Distinebatur nimirum immo distendebatur iuventus praceptionibus grammaticis infinite prolixis, perplexis, obscuris annis aliquot haec prima lux. Tum per eosdem annos *effarciebatur vocabulis rerum sine rebus*; id est nec res vocibus illis exprimenda (quo facilior, firmior et evidentior cum utilitate impressio fieret) monstrabatur nec vobis iuncturae, cuivis linguae propriae, ostendebantur manifesto utrinque errore.

Quid tunc si sacerdos quandoque textum non conversum inve-nerit et ei opus sit intellegere quid fontes dicant? Meis discipulis saepe numero fit ut textum obviam eant cui nemo versionem cuiuslibet linguam exaraverit, quamobrem memorantes suorum primorum graduum in lingua Latina discenda ex alta spe decident. Illa temestate tumultantium cogitationum fremitus in meas aures incedit:

Voces enim quia rerum signa sunt, his ignoratis, quid significabunt? Noverit puer millies millena vocabula recitare, *si rebus applicare non novit*, quem apparatus iste usum habiturus est? E solis etiam separatis vocabulis orationem exsurgere posse qui sperat, idem speret, arenam in manipulos colligari posse aut e caemento murum erigi absque calce. *E vocabulariis igitur et dictionariis Latinae linguae studium nimis est impeditum* (Comenius 1643: III).

Iam pridem in votis expetenda erat epitomen latinitatis Christianae confici, ut nonnullae voces modique dicendi in unum redactae compendium brevi temporis spatio suavem, amoenum, tutum ad reales autores transitum praebeant². 'Evagrius magister' primam lucem videt in Pontificio Instituto Altioris Latinitatis in Universitate Salesiana Romae sita, ubi potissimi atque praeclarissimi fautores cultoresque tales ut Robertus Spataro, Aloisius Miraglia, Maurus Pisini et Leonardus Ramos optimam latinitatem colunt. Liber dicatus est quibus studia in seminariis et minoribus et maioribus, quibus in Theologiae studiorum facultatibus incumbunt, quibus sese vitae Christo dicatae dederunt, quibus quoque

² "Quemadmodum multo facilius esset visu dignoscere omnia animalia visitando arcum Noë continentem ex omni genere bina selecta quam peragrando totum terrarum orbem donec casu in aliquid animal quis incidisset, eadem prorsus ratione multo facilius omnia vocabula addiscerent ex epitome linguae in qua fundamenta omnium continentur, quam audiendo, loquendo, legendo. Donec casu in toto vocabula quis incidat" (Comenius 1643: VI).

disciplinis theologicis utpote dogmaticis, liturgicis, Codici Iuris Canonicis Patribusque Ecclesiae operam et animam collocant.

Ut postea funditus tractabimus, Miranus Sajovic, auctor nostrae methodi, quasi presso pede vestigia Orbergii assequitur, etiamsi non nullis in modis docendi ab eo secedat. Haec est causa cur textus non aptus sit ad studium cuiusque sive “autodidactam”, ut barbarice loquar, nam non numquam discipulus per se nequit in rerum contextu mente fingere quid quodlibet vocabulum significet, nisi ipse paginas lexici evolvat. Quare liber magistro satis versato et docto eget, ne discipulus natet sine cortice³. Methodus haec est quasi mixtio, scilicet inter librum *c.t.* ‘Reading Latin’⁴, et ‘Linguam Latinam per se Illustratam’, nam ex prima et tabulas grammaticas et verba versa in linguas recentiores, ex altera vero methodo textum aptum discipulis fictumque simplicibus verbis et exercitiorum genera sumpsit. At exempli gratia ‘Evagrius magister’ ad versiones non tendit ut ‘Reading Latin’.

Cur tum hic liber maximi momenti est? Praecipue ita censemus quia hoc usque nullus erat liber dicatus tot studiosis religionis Christianae, quamobrem tempus fuit quo talia evenirent. Multi sunt qui voce contendunt omnes debere uti tantum modo methodo Orbergiana, sed quid tunc si est methodus, quo sacerdotes seminaristaeque uno anno fundamenta linguae Latinae magistro iuvante componere suis in animis possunt? Nonne iis magis hoc prodest quam consumere annum ut praeteritum perfectum ad summum tractent? Quid ergo de coniunctivo, de syntaxi, de verbis ad latinitatem christianam pertinentibus? Ipse huius rei expertus sum.

Cum docuissem per binos annos in Facultatibus Ecclesiasticis apud Studiorum Universitatem Navarrensem animadverti iam a primo anno non posse fieri ut discipuli fundamenta linguae Latinae discerent, quoniam tantum tempus scholarum horae et dimidia per hebdomadem

³ Hor. Sat. 1, 4, 116-122:

“sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si
traditum ab antiquis morem servare tuamque,
dum custodis eges, vitam famamque tueri
incolumem possum; simul ac duraverit aetas
membra animumque tuum, nabis sine cortice. ‘sic me
formabat puerum dictis et, sive iubebat
ut facerem quid, ‘habes auctorem, quo facias hoc’”

120

⁴ Vide ordinem librorum tractandorum in fine.

habebant, ideoque, ut patet, tempus ad quamlibet linguam descendam non suppeditat. Tum quaerens, scrutans, vestigans exquirensque huc et illuc, inveni hunc librum *c.t.* ‘Evagrius magister’, qui mihi visus est aptus ad meas necessitudines, nam primo anno iam cooperam docere linguam Latinam sacerdotes methodo Orbergiana sine multis successibus, quoniam et paucō tempore allato et discipulis ex totius orbe provenientibus —praesertim ex Africa et America Meridionali—, inter quos et lingua et mores satis differebant, haud multos gradus facere potuimus. Tunc anno insequenti ‘Evagrio magistro’ in scholis usus sum sine aliorum consilio et talis fuit exitus: in fine anni discipuli valuerunt Missam Latine celebrare, alii studia ad latinitatem pertinentia inchoaverunt, alii discere linguam Latinam suo quoque Marte perrexerunt. Ut dixi, sine magistro haec mea sententia non fieri possunt, sed cum methodus ad latinitatem christianam vela det, magis discipulis qui talibus disciplinis student, prodest.

Nonnullis autem occasionebus mihi contigit ut discipuli ne vocabula nova recenseant, ne mentem intendere potuissent, quapropter hoc consilium excogitavi: Quin cum plerique sat multum telephono utantur, vertamus latinitatem ad talia? Ita subsidia, quibus nomina ‘Kahoot’ et ‘Quizlet’ in usum adhibui, non solum ut possent memoriae mandare omnia vocabula ludendo, verum etiam ut acutius animum ad lectionem tetendissent. Satis constat ludis apte ad docendum aptatis posse perquam prodesse discipulis, nam si serio animo ludimus plurima discimus quam si tantum Latine garrimus et nihil aliud faciemus nisi balbutire quidquid primum in os venit, ut quam primum ludum solvamus. Sic Bohemus noster commendat:

Sic autem ludum definio. Ludus est exercitium (animi vel corporis) institutum inter plures, de aliquo lucre aut honoris praemio concertantes. Ubi septem haec inesse innuitur, quae ludum esse ludum, hoc est animi oblectamentum, faciunt: I motus, II spontaneitas III societas, IV concertation (hoc est iucunda eventus relaxatio). Quae si pressius inspexerimus et ad ludum litterarum sive operas scholasticas adaptaverimus, non videre, quae ad methodi delectabilitatem conferre possunt, non poterimus (Comenius 2005: 424)

De ludis ad realia nunc loquemur, nam sacerdos plerumque non solum linguam Latinam discit, ut ab imis unguiculis usque ad verticem

summum sacras scripturas probe teneat, verum etiam ut ad realia perveniat, nempe ad sacram Missam celebrandam. De hoc quoque argumento Comenius sese interrogat:

Si quis linguae discendae gratia tot transmittat annos, ecquando ad realia perveniet? Quando sanioris philosophiae cognitione imbuet animum? Quando in sacrosanctae Theologiae adyta intrabit? Vel medicorum arcana perquiret? Vel Iuris consultorum volumina evolvet? Quando ad finem studiorum perveniet? Et quod maius, quando tam anxie quaesitae eruditionis praxin in Ecclesiae et Reipublicae bonum exercebit? Certe vel propter huius vitae brevitatem numquam vel seo admodum sentietque vitam praeparationibus vitae consumptam esse (Comenius 1643: V).

Est enim sacerdotibus sane beneficio ad cuiusque necessitates perduci, nam nisi exercendo et agendo nemo quidquam omnino discere potest.

Ut omnes melius meliusque intelligamus quid liber contineat, de illo longe lateque infra loquemur. Liber ex quindecim capitulis constat, de quibus verba infra faciemus, et ex duobus appendicibus, in quibus grammatica tabulis exemplisque et syntaxis explanantur. In libri fine index vocabulorum cum verbis Italice versis invenitur. Maximi etiam momenti nobis est animum intendere ad cuiusque capituli dispositionem, nam ea ante oculos non temere totius consilii contextum apponit.

Primum omnium ad textus lectionem nos confert liber quae nobis et fabulam et vocabula et nova ad grammaticam pertinentia praebet. In hac parte arte facta auctor mensam quasi epulis appositam exstruit, qua discipulus uti potest, quasi fulcri instar, quo progrediente lectione magis magisque textus ipsos legat. In hac imagine infra exposita videre potestis, quo pacto liber textum monstret et eodem modo colloquia partes agant. Sit vobis exemplo imago. Interdum textus dialogos et narrationem miscet, ut discipulus pedetentim rationi Sacrarum Scripturarum assuefiat.

Tres puellae

I. Perpetua ad parvum forum, quod ante ecclesiam situm est, pervenit.
Ea secum portat multas rosas et pulchra lilia. Donata et Cecilia eam
in platea ante ecclesiam iam exspectant.



Donata et Cecilia: "Salve, Perpetua! Hodie sero venis ad nos! Iam hora
nona est".

Perpetua: "Salvete, Donata Ceciliaque! Date mihi veniam, quae so! In
foro magnō Horatium, Marcum Felicemque, amicos meos, salutabam".
Donata et Cecilia: "Da nobis rosas, quas tecum portas! Tu tene pulchra
lilia!".

Perpetua multas rosas dat puellis, lilia tenet apud se. Puellae ad
ecclesiam eunt. Ante Donatam et Ceciliā it Perpetua. Donata et
Cecilia post Perpetuam eunt.

Secunda enim capituli pars ad vocabula nova attinet, quae secundum
litterarum ordinem ea enumerat, nullum vero significatum exhibit, quod
efficit, ut discipulus memoria illa teneat ita ut sine significatis recenseat
quae antea in capitulo didicerit.

⁵ Grates ago auctori huius libri, id est Mirano Sajovic, qui tam aequo animo mihi
imagines libri pervulgandi gratia tradidit.

Vocabula nova

<i>accedo, is, ēre 3</i>	<i>lilium, ii N</i>
<i>adhuc (adv.)</i>	<i>medicus, i M</i>
<i>advenio, is, īre 4</i>	<i>narro, as, are 1</i>
<i>antiquus 3</i>	<i>occurro, is, ēre 3</i>
<i>aperio, is, īre 1</i>	<i>orno, as, āre 1</i>
<i>apertus 3</i>	<i>ostiarius, ii M</i>
<i>circum + acc.</i>	<i>ostium, ii N</i>
<i>dauido, is, ēre 3</i>	<i>per + acc.</i>
<i>dlausus, a, um</i>	<i>pervēnio, is, īre 4</i>
<i>debeo, es, ēre 2</i>	<i>placeō, placent 2</i>
<i>decimus, a, um</i>	<i>pono, is, ēre 3</i>
<i>desidero, as, āre 1</i>	<i>porta, ae F</i>
<i>dexter, dextra, dextrum</i>	<i>purgo, as, āre 1</i>
<i>dicatus 3</i>	<i>quaeso, is, ēre 3</i>
<i>dimidius 3</i>	<i>quod = quia</i>
<i>discedo, is, ēre 3</i>	<i>reliquiae, arum F</i>
<i>dispono, is, ēre 3</i>	<i>sanctus 3</i>
<i>do, as, āre 1</i>	<i>sero (adv.)</i>
<i>doleo, es, ēre 2</i>	<i>servo, as, āre 1</i>
<i>domum (adv.)</i>	<i>statim (adv.)</i>
<i>ecce!</i>	<i>sto, as, āre 1</i>
<i>eo, is, īre</i>	<i>sub (+ abl.)</i>
<i>expurgo, as, āre 1</i>	<i>sumo, is, ēre 3</i>
<i>exspecto, as, āre 1</i>	<i>tam diu</i>
<i>fessus 3</i>	<i>teneo, es, ēre 2</i>
<i>habito, as, āre 1</i>	<i>venia, ae F</i>
<i>intro, as, āre 1</i>	<i>vir, viri M</i>

In tertia vero parte ars grammatica nonnullis exemplis tabulisque declinationum breviter perstringendi ergo explanatur⁶.

ARS GRAMMATICA

1. *Verbum temporale*: modus imperativus 2^a persona singularis et pluralis

[1^a] -ā, -āte : Da nobis multas rosas! Date mihi veniam!

[2^a] -ē, -ēte : Tace, discipule! Tacete, discipuli!

[3^a] -e, -ite : Pone rosas ante mensam! Ponite rosas ante mensam!

[4^a] -ī, -īte : Veni ad nos! Venite ad me!

	I CONIUGATIO	II CONIUGATIO	III CONIUGATIO	IV CONIUGATIO	
1 ^a PERSONA	salutā!	ridē!	pone!	dormī!	S
2 ^a PERSONA	salutāte!	ridēte!	pon-i-te!	dormīte!	G.
3 ^a PERSONA					P
1 ^a PERSONA					L
2 ^a PERSONA					
3 ^a PERSONA					

Verbum esse:

ESSE	
1 ^a PERSONA	es!
2 ^a PERSONA	
3 ^a PERSONA	
1 ^a PERSONA	este!
2 ^a PERSONA	
3 ^a PERSONA	

2. *Infinitivus*: activus praesens

Ostiarium *exspectare* iis non placet. Nunc in *ecclesiam venire* possumus, ad presbyterium *accedere*, presbyterium *expurgare*. In *ecclesia tacere* debête.

'Expurgā-re', 'tacē-re', 'acced-e-re', 'veni-re' sunt infinitivi activi.

⁶ Nonnulli detractores harum methodorum inveniuntur qui infesto morsu invecivas intexunt in activas methodos vociferantes grammaticam fere absconditam esse in nostris libris. Num Petrarca cum scripserit opera sua Latina eo de grammatica ipsa cogitavit ut tabulas verborum ante oculos semper habere deberet?

4. Nomen; dativus singularis et pluralis:

a) Masculinum

Medicus medicinam *ostiariō* dat.
 Ostiarius medicinam *filiis* monstrat.
 'Ostiario' est dativus singularis.
 'Filiis' est dativus pluralis.
 Nominativus singularis: *-us (-r)*.
 Dativus singularis: *-ō*.
 Dativus pluralis: *-īs*.

b) Femininum

Pulchra lilia *Perpetuae* sunt.
 Perpetua multas rosas dat *puellis*.
 'Perpetuae' est dativus singularis.
 'Puellis' est dativus pluralis est.
 Nominativus singularis: *-a*.
 Dativus singularis: *-ae*.
 Dativus pluralis: *-īs*.

Et ne grammatica oblivioni data sit, quarta capituli pars ex variis exercitiorum generibus constat. Haec prorsus pars maioris momenti nobis esse visa est, siquidem ut methodus nostra fiat vere, ut ita dicam, 'activa', discipulo sunt omnia exercitia persolvenda, ex quibus potissima sunt interrogata ad lectionem pertinentia, ut ita Orbergius in sua methodo proposuit. Liquidum omnibus est sine hac parte discipulus turpiter gradus facturus esse. Ecce testimonia:

EXERCITIVM 1 Interroga et responde!

Exemplum: Horatius in foro pila ludit.

Placet-ne *Horatio pila ludere?* Sane. *Horatio pila ludere placet.*

1. Horatius in lecto suo dormit?

Placet-ne _____? Minime vero. _____.

2. Servus Alexander Horatium aegrotum salutat?

Placet-ne _____? Sane. _____.

3. Servi fessi in parvō cubiculō iacent?

Placet-ne _____? Certe. _____.

4. Magister semper pulchra verba dicit.

Placet-ne _____? Ita est. _____.

EXERCITIVM 2 Scribe desinentias!

Puellae vident ostiari_____, qui per for____ ad osti____ advēnit. Puellae paululum irat____ sunt, quia ante ostium tam diu st____ debent. Puellae ostiari____ imperant: "Ven____ ad nos, ostiari!". Ostiarius iam adest. Puellae imperant: "Aper____, quaesumus, ostium!". Ostiarius statim ostium aper_____. Ostium iam apertum est. Ostiarius puell____ imperat: "Ven____, ad presbyterium acced____, rosas liliaquae ante mensam pon____ et presbyterium bene expurg____! Tac____ in ecclesia!". Puellae e____ gratias agunt et ad presbyterium acced____ et eum expurg____.

In postrema capituli parte auctor parvum florilegium excerptit. Haec mihi videtur esse maximum huius libri consilium, siquidem discipulus adhuc doctrina expers ad textus latinitatis Christianae accedere potest, quod prohdolor aliis methodis adhibitis non accedit, nempe quae iam exstant, quasque usurpare solemus in nostris scholis si methodo, quae appellatur naturali, utimur. En exempla:

1. Latinitas liturgica:**a. *Anima Christi***

Anima Christi, sanctifica me.

Corpus Christi, salva me.

Sanguis Christi, inebria me.

Vocabula nova

anima, ae F – anima

santifico, as, are – santificare

corpus, corporis N – corpo

inebrio, as, are – ubriacare, inebriare

b. *Angele Dei*

Angele Dei, qui custos es mei,

me tibi commissum pietate superna;

(Hodie, Hac nocte) illumina, custodi, rege, et gubernia. Amen.

Vocabula nova

custos, odis M – custode

pietas, atis F – pietà

3. Latinitas patristica: *Mysterium nostræ vivificationis*

Beatus Iob, sanctæ Ecclesiæ typum tenens, modo voce corporis, modo autem voce cæptis uititur; et, dum de membris eius loquitur, repente ad verba cæptis levatur. Unde hic quoque subiungitur: "Hæc passus sum absque iniuitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces".

Absque iniuitate enim manus suas pertulit, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius, et tamen dolorem crucis pro nostra redemptio toleravit. Qui solus præ omnibus mundas ad Deum preces habuit, quia et in ipso dolore passionis pro persecutoribus oravit, dicens: "Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt".

Quid enim dici, quid cogitari in prece mundius potest quam cum et illis misericordia intercessioñis tribuitur, a quibus toleratur dolor?

Unde factum est, ut Redemptoris nostri sanguinem, quem persecutores saevientes fuderant, postmodum credentes biberent, eumque esse Dei Filium predicarent.

(S. Gregorius Magnus, *Expositio in Librum beati Iob*, 13,21)

Licet tamen nosmet ipsos rogitare: Prodestne a primis latinitatis unguiculis textus auctorum praebere discipulis? Nostra quidem sententia non solum ad maiorem notitiam linguae Latinae comparandam prodest, sed etiam ad nostram mentem gradatim conformandam auctoribus ipsis. Maximum enim emolumentum huius methodi est sine ulla dubitatione, ut iam antea praenuntiavimus, ex ipsis fontibus mellis laticem bibere.

Quem ad finem linguam Latinam discimus? Ut inter nos quaedam quae Latina resonant, lingua haesitemus? Nequaquam! Finis totius consilii est re vera auctores ipsos legere, ut de iis cultum et humanitatem perdiscamus. Nulla enim de causa est qua eos classicos aureosve vocemus. Praestat igitur hic liber illo consilio, quo discipulus pauca scientia praeditus ad potissimos nomine scriptores rerum Ecclesiasticarum accedit, quare studiosos Theologiae aliorumque disciplinarum huius generis suis in munib' is maxime iuvat. Fontes ipsos habere capitulo peracto est discipulis commodum quo postea ad difficiliora accedere poterint, quoniam ipsi discrimina inter ipsa vocabula animadvertisunt, scilicet non idem significabat religio apud Ciceronem (officium civile) quam apud Ieronimum (ad fidem Christi pertinens).

Evolentes primam editionem ‘Evagrii magistri’ quaedam menda invenimus, quae magistro praesente emendari possunt. At praeterito mense, Septembri anno 2018 dico, auctor typis iam alteram editionem emendatam mandavit. Est etiam in ea methodo alius liber cui titulus ‘summa grammaticae Latinae. Exercitia explicata. Lexica’, in quo omnes tabulae grammaticae libri ‘Evagrii magistri’ continentur et syntaxis breviter explanata; exercitia quoque soluta et vocabula quae apparent in libro Italice, Hispanice, Anglice, Polonice, Francogallice, Lusitanice et Serice. Sic methodus concluditur.

His dictis in votis nobis est ut in pauca redigamus quidquid diximus supra, sed potius aliquid maioris momenti proclamare gestimus: nulla est methodus expolita neque maxima cumulata perfectione neque absoluta neque summa. At tamen nostra existimatione desinere velitationes in alias methodos aliquosque homines parare oporteret, nam periculum est ne fiamus ‘umbratici’, ut voce Davidis Ruhnkenii utar,

Etsi plerique mortales insito quodam lucis et celebritatis studio ducuntur, multos tamen in literarum studiosis reperietis, qui sive naturae morositate, sive superbia, et aliorum contemtu, sive nimia literarum aviditate, sive quacunque alia caussa, in musei umbra ita se literis abdant, ut reipublicae lucem, hominumque consuetudinem fugiant, nec quicquam, quod ad communem fructum et utilitatem pertineat, in adspectum producant: qui inde a Latinis umbratici sunt appellati (Ruhnkenius 2001: 31).

Nobis visum est tantum modo talia detrimentum secum ferre. Pro certo magis convenit auxilia et subsidia nova manibus apertis secundisque amplecti quam queri de librorum mendis, tali modo ut re vera nostri discipuli linguam Latinam et Graecam perdiscant. Tunc si nos ipsi detractoris partes agimus, et bella inania in alios tantum propter excogitata de religione et falsa iudicia de rebus politicis gerimus, numquam unum fieri poterimus. Si quis proposuerit aliquid novi attuleritque novam lucem ad tantam rerum caecitatem, accipiamus quam faustissime, nam nos cuncti iisdem velis navigamus easdemque undas remigamus magna cum vi nullo cum laxamento. Postremo non garrimus Latine ut res quotidianae fiant illa lingua, nisi ut ad medullam auctorum sapientiamque antiquorum tandem aliquando perveniamus; alio vero modo fieri posse dubitamus. Sic ‘Evagrius magister’ nudum in

facultatibus ecclesiasticis et in seminariis enodare conatur, quo quidem subsidio abhinc multis iam annis multi egebant.

BIBLIOGRAFÍA

COMENIUS, J. A. (1643), *Ianua linguarum reserata*, apud Ludovicum Elzevirium, Amstelodami.

COMENIUS, J. A. (2005), *Novissima linguarum methodus*, Librairie Droz, Geneve, 424.

JONES, P. V. & SIDWELL, K. C. (1986), *Reading Latin. Grammar, Vocabulary and Exercises*, Cambridge University Press, Cambridge.

ØRBERG, H. H. (2011), *Lingua Latina per se illustrata*, Ediciones Cultura Clásica, Granada.

RUHNKENIUS, D., *Oratio de doctore umbratico*, Napoli, Vivarium, 2001, p. 31.

SAJOVIC, M., (2018), *Evagrius magister. Summa grammaticae Latinae. Exercitia explicata. Lexica*, LAS, Roma.

SAJOVIC, M., (2018²), *Evagrius magister. Scholae Latinae*, LAS, Roma.

TUNBERG, T., (2000), “Latinitas: The Misdiagnosis of Latin’s Rigor Mortis”, *ACL Newsletter* 22.2, 21-26.

